3

ELENCHUS
TRACTATUUM
ET QUÆSTIONUM

QUAS IN NOSTRIS SCHOLIS SINGULIS QUADRIENNIIS

JUXTA MENTEM SUBTILISSIMI DOCTORIS

JOANNIS DUNS SCOTI

REVERENDISSIMUS PATER

CLEMENS A PANORMO

MINISTER GENERALIS

OMNIBUS SACRÆ THEOLOGIÆ LECTORIBUS
GENERALIBUS MANDAT PERAGENDAS

PRO RECTA, ATQUE ORDINATA IN UNIVERSO ORDINE
NOSTRORUM STUDENTIUM INSTITUTIONE.

CURA

REVERENDISSIMI PATRIS

JOSEPHI M.Æ AB ALEXANDRIA

TOTIUS CISMONTANÆ MINORUM FAMILIÆ

VICARII GENERALIS

Noviter Impressus.

QUADRIENNIUM PRIMI LECTORIS

ANNO I.

TRACTATUS PRIMUS

DE DIVINA REVELATIONE, SIVE DE VERBO SCRIPTO.

1. Utrum homini in hoc statu necessaria sit doctrina revelata?

2. Utrum Divina revelatio existat; & quinam sint Divinæ revelationis characteres, sive motiva credibilitatis?

3. Utrum Deus per se, vel per alium mentiri possit?

4. Quid sit verum miraculum; & num fieri possit in confirmationem falsæ doctrinæ?

5. Num motiva credibilitatis in sola Christi Religione reperiantur?

6. Num Divina revelatio litteris consignata sit, et quinam sint Libri, quibus hanc contineri credimus? *Ubi breviter agendum de libris Canonicis, Deutero-Canonicis, ac diversis Scripturarum Canonibus.*

7. Utrum Pentateuchus, omnium librorum antiquissimus, genuinus sit Mosis fœtus? *Quo posito, paucis indicabitur, qua ratione constet, reliquos quoque sacros Libros genuinos esse.*

8. Utrum sacri Libri integri ad Nos pervenerint?

9. Utrum, & qua ratione sacri Scriptores divitus inspirati sacros Libros ediderint?

10. Utrum sacra Scriptura divinæ sit, atque infallibilis auctoritatis?

11. De libris Deutero-Canonicis; Num hos jure Tridentina Synodus in Canonem Sacrarum Scripturarum retulerit?

12. De lingua, qua scripti fuerunt sacri Libri, cum veteris, tum novi Testamenti: quæ quidem strictim, ac historicè pertractentur.

13. De variis sacrorum Bibliorum versionibus; Ubi etiam de auctoritate versionis septuaginta Interpretum.

14. De versione latina vulgata, & qua ratione hæc a Tridentina Synodo authentica declarata sit?

15. De vernaculis Bibliorum versionibus; ubi num jure Romana, atque Catholica Ecclesia promiscuam in linguis vulgaribus Sacræ Scripturæ lectionem interdixerit?

16. De sacrarum litterarum claritate, & obscuritate.

17. Quotuplex est Scripturæ sensus?

18. Ad quem spectet tradere verum, atque germanum Sacræ Scripturæ sensum?

Ad recensitas quæstiones enodandas, præter Doctorem Nostrum in prolog. sent. magno usui esse poterunt Mattheucci *de Canoniz. Sanctorum.* SS. D. N. BENEDICTI XIV. *opus verè aureum de eod. argum.* Huetius *demonst. Evang.* Ven. Bellarminus *de verbo Dei.* Melchior Canus, Mazzinelli, Habert, aliique *de loc. Theol. pertractantes.*

TRACTATUS SECUNDUS

DE TRADITIONIBUS, SIVE DE VERBO DEI TRADITO.

1. Quid, & quotuplex sit traditio; & quænam Nos inter & Novatores controversia est?

2. An præter Scripturam Sacram admittenda sit divina traditio, tamquam altera Fidei nostræ Regula?

3. Quænam sint certæ regulæ, quibus divina ab humana traditione secernantur?

4. Utrum Jejunium Quadragesimale, sive Antepaschale ex Apostolica ordinatione institutum, atque præce-

ptum esse ex traditione invictè probetur ? *Ex hujus Quæstionis solutione erui poterunt generales quædam Regulæ ad demonstrandum ex Apostolica Ordinatione originem trahere quamplures Catholicæ Ecclesiæ in Sacramentorum administratione usurpatas cæremonias, quæ semper, et ubique observatæ fuerunt.*

Vid. Doct. sup. laud. Thomasinum *de Jejunio.* Antoine *Theol. Moral. cum not.* P. Philippi de Carboneano *tract. de Sac. Christ. Rit.*

ANNO II.

TRACTATUS PRIMUS.

DE VERA CHRISTI ECCLESIA.

1. Exponatur breviter Ortodoxa doctrina de vera Christi Ecclesia; eaque de re Hæresum historia recenseatur.

2. Utrum Ecclesia Christi sit visibilis ?

3. Utrum insint in Christi Ecclesia notae, sive characteres, quibus maximè conspicua, & facile cognoscibilis reddatur; & quænam hæ notæ sint ?

4. Utrum Ecclesia, cui hæ notæ conveniunt, perpetua sit, atque indefectibilis ?

5. Utrum infallibilis Judex sit in Fidei, atque morum controversiis finiendis?

6. An sola Societas Romano-Chatolica sit vera Christi Ecclesia, sive in ea solum veræ Ecclesiæ Christi notæ reperiantur ?

7 De his, qui ab hujusmodi Ecclesia excluduntur, sive non sunt vera Ecclesiæ membra.

8. Utrum in Ecclesia Christi Presbyteri à Laicis jure divino secernantur ?

9. Utrum Episcopi jure divino sint Presbyteris Superiores?

10. Utrum Supremis Ecclesiæ Pastoribus jus a Deo concessum sit præcipiendi, et ferendi leges?

De Ecclesia, ejusque potestate agunt Theologi, quos supra, tract. de loc. Theol. Bossuet, Chantuesme *contra Juriæum.* Petavius *de Eccles. Hierar. cont. Salmasium.* Antoine *ubi supra.* Cl. P. Jo. Antonius Bianchi *cont. Jannonem.*

TRACTATUS SECUNDUS.

DE ROMANO PONTIFICE, CONCILIIS, AC RELIQUIS THEOLOGICIS LOCIS.

1. Utrum S. Petrus a Christo Domino constitutufuerit totius Ecclesiæ caput, ita ut in Universam Ecsclesiam auctoritatem, & jurisdictionem acceperit?

2. Utrum S. Petro privilegium concessum fuerit infallibilitatis in controversiis fidei, atque morum decernendis?

3. Utrum Romanus Pontifex legitimus sit Petri Successor, habeatque collata illi privilegia?

4. An Rom. Pontificis judicium, vel definitio in materia Fidei, et morum sit dogma Catholicum?

5. An Rom. Pontificis judicium infallibile sit in materia facti doctrinalis?

6. An etiam in Canonizatione Sanctorum?

7. An leges ferre possit obligantes Universam Ecclesiam?

Agit ex professo de Rom. Pont. Cl. P. Augustinus Orsi *in erudito opere Romæ sub* Clem. XII. *impresso.*

De Conciliis.

1. Quid, & quotuplex sit Concilium?
2. Ad quem spectat convocare Concilium generale?
3. Quinam ad Concilia convocari debeant?
4. Quis debeat præsidere Conciliis?
5. Quæ, & quanta sit Conciliorum auctoritas?
6. Num Romanus Pontifex sit supra Concilium; & num pro legitimo illud haberi possit, quod ejusdem Pontificis auctoritate roboratum non sit?
7. Quot fuerint Generalia Concilia? *Ubi hæreses ibidem damnatæ, ac principaliora in illis constituta capita breviter recenseantur?*

De reliquis Theologicis locis.

1. Exponuntur regulæ necessariæ pro agnoscenda Patrum in re Theologica auctoritate?
2. Quanti facienda sit auctoritas Scholasticorum, Philosophorum, rationis naturalis, atque historiæ? *Hisque explicatis, erunt paucis exponendæ Theologicæ censuræ, quibus damnatæ a Conciliis, summisque Pontificibus Propositiones notari solent.*

ANNO III.

TRACTATUS PRIMUS.

DE STATU MORTUORUM, ET RESURGENTIUM, DE PARADISO, DE INFERNO, DEQUE PURGATORIO.

1. Utrum Adamo non peccante, tum ipse, tum ipsius posteri fuissent immortales?
2. Utrum Anima separata a corpore vivat, ac præmii, suppliciique sit capax?

3. Utrum in actu separationis a corpore Anima particulare subeat judicium divinum, quo pœna, vel præmium eidem decernatur?

4. Quænam sit pœna Animæ cum sola Adamitica culpa decedentis?

5. Utrum Animæ Justorum, quibus nihil luendum superest, statim cœlesti beatitudine fruantur?

6. Utrum Joannes XXII. Rom. Pont. eorum adhæserit errori, qui Animas Justorum nonnisi post extremum judicium beatitudine donandas arbitrarentur?

7. De signis, quæ universale Judicium præcessura sunt?

8. Utrum pueri cum solo originali peccato decedentes ad universale Judicium vocandi sint, atque damnandi ad pœnas inferni?

9. Utrum possibilis sit omnium hominum resurrectio?

10. Utrum non solum electi, sed etiam iniqui resurrecturi sint?

11. Quænam sint dotes corporis gloriosi?

12. Quænam sit hominis post resurrectionem beatitudo?

13. Quid Inferni nomine designetur?

14. Utrum Anima Christi post illius mortem ad hujusmodi locum descenderit; & qua de causa?

15. Utrum ignis Inferni verus sit, & realis; & qua ratione Animæ ab ipso torqueantur?

16. Utrum detur Purgatorium; & quasnam pœnas in eo Animæ subire debeant?

17. Num Animæ ibi degentes certæ sint de futura eorum beatitudine?

18. Num mereri, vel peccare ibi possint.

19. Num, & qua ratione Ecclesiæ suffragia ibi prosint.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE INDULGENTIIS.

1. Quid Indulgentiæ, & Jubilæi nomine veniat in sensu Catholicorum? *Ubi Novatorum hac de re haereses explicentur.*

2. De Spirituali Ecclesiæ thesauro, & ex quibus bonis coalescat.

3. Utrum spiritualis hujusmodi thesaurus ita sit concreditus Ecclesiæ, ut illius bona in favorem Fidelium distribuere possit, præsertim ad relaxationem pœnæ post remissionem peccatorum residuæ?

4. Cuinam a Christo Domino facta sit potestas bona hujusmodi applicandi, & per hujusmodi applicationem Indulgentias concedendi?

5. Qua ratione Ecclesia ad decimum usque sæculum thesaurum hujusmodi, sive Indulgentias dispensaverit?

6. In quo sita sit Indulgentiæ natura; num solvat tantum, an absolvat, & a quo vinculo?

7. Utrum hujusmodi pœnarum relaxatio a primis temporibus ab Ecclesia adhibita valuerit etiam in foro interno, & coram Deo?

8. De multiplici Indulgentiarum forma, & varietate juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam. *Hic liberum erit Lectoribus de Indulgentia illa disputare, Ecclesiae nostrae, quae Portiuncula dicitur, a S. P. N. Francisco impetrata.*

9. Quænam dispositiones requiruntur in suscipiente, ut lucrari possit Indulgentias?

10. Num Indulgentia applicari possit Defunctis, sive Animabus in Purgatorio existentibus; et qua ratione ipsis prosit?

11. An ex justitia, vel potius ex misericordia liberentur Animæ, quibus Indulgentiæ applicantur?

12. Quid sit dare Indulgentias Defunctis per modum Suffragii?

13. Quid requiritur ad hoc, ut Defunctis Iudulgentiæ prosint?

14. De operibus injunctis pro acquisitione Indulgentiarum.

Scripserunt de Indulgentiis P. Eusebius Amort, et P. Theodorus Carmelita *novissimè post Bellarminum, aliosque ferè omnes Theologos Scriptores.*

ANNO IV.

TRACTATUS PRIMUS.

DE EXTERIORI DEI CULTU.

1. Quid, et quotuplex sit adoratio?

2. Utrum detur præceptum divinum, & naturale colendi Deum actibus tum internis, tum externis?

3. Quid sit sacrificium; & num sacrificia fuerint in lege naturæ?

4. De sacrificiis legis Mosaicæ.

5. Utrum Christus in institutione Eucharistiæ verum sacrificium obtulerit?

6. Utrum sacrificium illud, quod Christus instituit, & in Ecclesia offerendum præcepit, veram habeat proprii sacrificii rationem?

7. Utrum propitiatorium sit, atque impetratorium, ita ut jure meritoque offeratur tam pro vivis, quam pro Defunctis?

8. Num ritè peragatur in honorem Sanctorum?

9. Utrum Missæ, quæ privatæ dicuntur, licitæ sint?

10. Num Ecclesia potestatem a Deo acceperit instituendi dies festos, cæremonias, ac jejunia, præcipiendo ut a Fidelibus religiosè observentur?

TRACTATUS SECUNDUS.

DE MEDIATIONE CHRISTI; DE INVOCATIONE SANCTORUM, EORUMQUE CULTU; DE SACRIS IMAGINIBUS, ET RELIQUIIS.

1. Utrum, et qua ratione Christus mediator sit Deum inter, et homines?

2. Utrum invocatio Sanctorum opposita sit Christi mediationi? *Unde sequentes instituendae erunt quaestiones.*

3. Utrum Sancti in Coelis pro viventibus orent?

4. Num licitum sit, Sanctos cum Christo regnantes invocare?

5. Utrum invocatio Sanctorum sit utilis, & præcepta?

6. Utrum Christus ut homo adorari licitè possit adoratione Latriae?

7. Utrum humanitas Christi, etiam in abstracto considerata, coli debeat absoluta adoratione Latriæ?

8. Utrum Corpus Christi in triduo mortis Latriæ cultu adorandum esset?

9. Num hoc cultu Crux Christi, & cætera ejusdem Sacratissimæ Passionis instrumenta coli possint, & debeant?

10. Utrum Sanctis cum Christo in Coelo regnantibus aliquis religiosus cultus debeatur?

11. Quinam est cultus B. Mariæ Virgini debitus; & in quo a cultu differat cæterorum Sanctorum?

12. Utrum piè ac religiosè instituta sint Festa in honorem Deiparæ, aliorumque Sanctorum?

13. Utrum piè, ac religiosè erigantur Oratoria, Basilicæ, Memoriæ Deiparae, Martyribus, ac Sanctis reliquis?

14. Num propriè Deiparæ, ac Sanctis cum Deo regnantibus vota nuncupari possint, aut impropriè tantum?

15. Num prohibitum sit Sac. Reliquiarum cultus, vel præceptus?

16. Num pius sit, atque utilis?

17. An Deus in antiqna lege omnem prorsus imaginem pingere, vel sculpere prohibuerit?

18. An in nova legeliceat Trin itatis statuas, aut imagines effingere, & qua ratione?

19. Utrum Angelorum, Christi, et Sanctorum imagines pingere, aut sculpere liceat?

20. Utrum Sacræ Imagines ritè in templis collocentur?

21. Utrum Sacræ Imagines coli debeant?

22. Utrum cultus Sanctarum Imaginum absolutus sit, an verò relativus?

Hujus Anni quaestiones satis obviae sunt apud Bellarminum *praesertim*, Berti, Tournely, Witasse, & alios, *tum in Tract. de Incarnat.*, *tum in Tract. de Eucharistia*, *tum alibi. Vid.* Trombellinm *in suo Opere de Cultu Sanctorum etc.*, *Bononiae nuper edito, plurim. volum. comprehenso.*

QUADRIENNIUM SECUNDI LECTORIS.

ANNO I.

TRACTATUS PRIMUS.

DE DEO, EJUSQUE DIVINIS ATTRIBUTIS.

1. Quid Dei nomine veniat: & num Dei existentia naturali ratione demonstretur?

2. Utrum demonstrari possit Deum esse substantiam spiritualem, habentem omnes perfectiones possibiles?

3. Quodnam sit Attributum in Deo primum, et quo ipsius Essentia continetur?

4. Posita in Deo necessitate existentiæ, ac ipsius natura demonstrata, per consectaria deducatur esse æternum, infinitum, immensum, atque ita simplicem, ut excludat quamcumque compositionem physicam contra Anthropomorphitas, Palamitas, Porretanos, aliosque; & quo modo inde deducatur, omnes in se involvere perfectiones simpliciter simplices; atque esse immutabilem.

5. Utrum Deus sit unus; & utrum unum sit tantum principium? *Ubi de origine mali tum physici, tum moralis.*

6. Quomodo Dei Attributa ab Essentia; & a se invicem distinguantur?

7. Num spatium sit ipsa Dei immensitas; & qua ratione Deus sit præsens loco, et spatiis?

TRACTATUS SECUNDUS.

DE INVISIBILITATE DEI; DE IPSIUS INTELLECTU, ET VOLUNTATE; AC DE DEI PROVIDENTIA.

1. Utrum homini possibilis sit clara Dei visio?

2. Utrum visio Dei intuitiva sit adæquata, vel inadæquata tantum Sanctorum beatitudo?

3. Utrum necessarium sit homini supernaturale auxilium, ut Deum clare intueatur; & quale illud sit?

4. Utrum visio Dei in omnibus Beatis æqualis sit?

5. Undenam inæqualitas visionis beatificæ sit repetenda?

6. Utrum Beati possint Deum comprehendere?

7. Quænam Beati videant in Deo?

De Intellectu Dei.

8. Num in Deo præter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, sit admittenda scientia media?

9. De medio, in quo Deus cognoscit seipsum, & possibilia.

10. De medio, in quo Deus cognoscit præsentia, præterita, & futura; necessaria item, & libera ordinis naturalis.

11. De medio, in quo Deus cognoscit futura libera ordinis supernaturalis.

De Voluntate Dei.

12. Quotuplex in Deo voluntas distinguatur; et qua ratione admittenda divisio voluntatis in antecedentem, & consequentem?

13. Utrum Dei voluntas libera sit tum ad intra, tum ad extra?

14. Num necessitate quadam, saltem morali, teneatur Deus semper decernere optimum?

15. Utrum dentur æterna divinæ Voluntatis decreta?

16. Utrum hujusmodi decreta antecedentia sint, concomitantia, vel subsequentia?

De Dei Providentia.

17. Utrum Dei Providentia detur; & num ad omnia sese extendat?

18. Utrum Deus Providentia sua ita hominum saluti consulerit, ut omnibus media paraverit necessaria ad æternae salutis consequutionem?

19. Quid prædestinatio sit; & num prædestinatio ad gloriam sit omnino gratuita?

20. Utrum homo certus esse possit de sua prædestinatione?

21. De prædestinationis signis; deque Electorum numero ad numerum Reproborum comparato.

22. Utrum reprobatio positiva sit ex prævisione demeritorum?

23. Num admittenda sit ex parte Dei reprobatio negativa ; et utrum hujus reprobationis causa sit peccatum originale ?

24. De prædestinationis , et reprobationis effectibus.

ANNO II.

TRACTATUS PRIMUS.

DE DEO TRINO.

1. Utrum Trinitatis mysterium ratione naturali demonstrari potest ?

2. Utrum Pater , Filius , Spiritus Sanctus sint tres subsistentes Personæ ?

3. Utrum Verbum, sive Filius Patri sit consubstantialis ?

4. Utrum Spiritus Sanctus Persona sit Patri , et Filio consubstantialis ?

5. Num dentur in Divinis reales relationes ; & per quid constituantur Personæ ?

6. Quid missio est in Divinis ; & num dentur reales processiones ?

7. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre Filioque ?

8. Num jure Ecclesia Romana addiderit Symbolo Nicaeno particulam *Filioque* ?

9. Cur processio Filii vocatur generatio , non vero generatio dicitur processio Spiritus Sancti ?

10. Utrum sola opposito relativa causa sit distinctionis realis inter divinas Personas ?

11. Quondam est principium Divinarum Processionum ?

12. Quid sit , & num admitti debeat divinarum Personarum circumincessio ?

TRACTATUS SECUNDUS.

DE DEO CREATORE.

1. Num Mundus a Deo ex nihilo creatus sit?

2. Num omnia sex dierum intervallo condiderit?

3. Exponatur breviter, qua Anni tempestate Mundus conditus fuerit; quæque fuerint creationis sex dierum opera.

4. Num allegoricè exponenda sint, quæ Moyses de Paradiso, de primorum hominum formatione, deque eorumdem tentatione enarrat?

5. Utrum primi Parentes a Deo conditi fuerint immortales?

6. Qua ratione Adamus, ejusque posteri fuissent immortales, si Adamus non peccasset?

7. Qua ratione homo in statu innocentiæ immunis erat a passionibus?

8. Num homo natura sua appetat beatitudinem supernaturalem, sive claram Dei visionem?

9. Num Adamo gratia supernaturalis concessa fuerit, & qualis?

10. Num immunitas a miseriis & morte, & gratia, qua mereri poterat æternam beatitudinem in Adamo fuerint humanæ naturæ conditiones, et proprietates, vel potius dona eidem humanæ naturæ indebita.

11. Utrum in Adamo omnes homines peccaverint; & qua ratione?

12. Utrum per Adami peccatum extinctum omnino sit liberum arbitrium?

13. Qua rationes vires arbitrii, & cognitionis attenuatæ sint?

14. In quo consistat originale peccatum?

15. Utrum homo condi a Deo potuerit, qualis nunc nascitur, concupiscentiæ, ad benè agendum difficultati, & ignorantiæ subjectus?

16. Num possibilis saltem sit status puræ naturæ, in quo, scilicet, concupiscentia desit, nec sint humanæ mentis vires attenuatæ?

ANNÓ III.

TRACTATUS PRIMUS.

DE DIVINA GRATIA.

1. Quid, & quotuplex sit Divina Gratia?

2. Quodnam est discrimen inter Gratiam nominis innocentis, & hominis lapsi?

3. Utrum homo in statu naturæ lapsæ possit sine Gratia aliquod bonum opus efficere naturalis ordinis?

4. Utrum homo teneatur omnia opera sua in Deum finem supernaturalem dirigere, saltem virtualiter; & quodnam discrimen est inter Augustinianesium opinionem, hanc in hominibus obligationem tuentíum, atque Jansenianos adstruentes omnia opera, quæ sine Gratia fiunt, esse peccata?

5. Utrum detur interior Dei Gratia per Christum?

6. Num hæc gratia concessa fuerit hominibus in statu naturæ, & in statu legis Mosaicæ?

7. Utrum Gratia hæc necessaria sit ad initium Fidei, & bonorum operum?

8. Utrum detur Gratia ex se, suaque natura efficax?

9. Utrum præter Gratiam efficacem admittenda sit etiam Gratia sufficiens?

10. Utrum Gratia sufficiens detur etiam Infidelibus & Peccatoribus?

11. Utrum detur Obcæcatis, & Induratis?

12. Utrum Gratia sanctificans diversa sit a charitate?

13. Utrum homini habenti Gratiam habitualem necessaria sit Gratia actualis ad benè agendum?

14. Quid sit justificatio: & quæ Gratia ad illam obtinendam requiritur?

15. Quid est meritum; & num ad merendum, & demerendum requiratur libertas a necessitate?

TRACTATUS SECUNDUS

DE ANGELIS.

1. Qua ratione ostendatur Angelos existere?
2. Num Angeli sint substantiæ spirituales simplices?
3. Utrum specie invicem differant?
4. Quando, & ubi creati fuerint?
5. Num fuerint creati in gratia; & quali fuerint gratia donati?
6. Quodnam fuerit malorum Angelorum peccatum?
7. Utrum Angeli sint in loco; & qua ratione ibi moveantur?
8. Qua ratione loqui invicem dicuntnr?
9. Utrum quilibet homo habeat Angelum sui Custodem?
10. Utrum Angeli mali obsideant corpora, & qua ratione?
11. Utrum Angeli sive boni, sive mali possint efficere miracula?
12. De loco, ubi sunt mali Angeli; deque illorum pœna?
13. De variis Angelorum ordinibus?

ANNO IV.

TRACTATUS UNICUS.

DE INCARNATIONE.

1. Utrum Incarnationis possibilitas demonstrari possit?

2. Qua ratione ostendatur adversus Judæos Christum esse Messiam?

3. In quo consistat unio hypostatica; & utrum Verbum in Christo hypostaticè humanam naturam adsumpserit?

4. Utrum Incarnatio necessaria fuerit?

5. Utrum aliquis meruerit, vel mereri potuerit Incarnationem?

6. Utrum peccatum talis causa fuerit Incarnationis, quod Adamo non peccante, Incarnatio peracta non fuisset?

7. Utrum Beata Maria Christi Mater fuerit semper Virgo?

8. Utrum Corpus, quod ex ipsa Verbum adsumpsit, verum humanum corpus fuerit?

9. Utrum hujusmodi Corpus mortale, & doloribus obnoxium fuerit?

10. Utrum adsumpserit etiam perfectam Animam, intellectu quoque, & voluntate præditam?

11. Utrum voluntas humana Christi suam habuerit humanam operationem?

12. Utrum, & qua ratione Christi Anima sanctificata fuerit?

13. Utrum habuerit visionem beatificam; & qua ratione Christus Viator simul esset, & comprehensor?

14. Qua ratione Christus dicatur pro nobis factus peccatum?

15. Utrum in Christo sit una tantum Persona?

16 Utrum B. Maria verè proprieque Mater sit Dei?

17. Utrum in una Christi Persona duæ fuerint inconfusæ, ac distinctæ naturæ?

18. Utrum humanitas Chrirti Verbo hypostaticè unita sit ubique?

19. Quid est communicatio Idiomatum; & num hæc in Christo admittenda sit?

20. Utrum Christus fuerit liber ad merendum, & subeundam mortem?

21 Utrum Christi meritum sit infinitum, & quomodo?

22. Utrum Christus mortuus sit pro omnibus?

23. Utrum propriè homines redemerit per satisfactionem, quæ sit ex toto rigore justitiæ?

24. Utrum Christus, saltem qua homo, dici possit Filius Dei adoptivus?

QUADRIENNIUM TERTII LECTORIS

ANNO I.

TRACTATUS PRIMUS

DE ACTIBUS HUMANIS, ET LEGIBUS.

1. Quid sit actus humanus? *Ubi etiam de voluntario, et involuntario, deque libero paucis agatur; cum de his aut in Ethica, aut in aliis Tractatibus actum statuatur.*

2. Utrum detur actus humanus in individuo indifferens?

3. In quo posita sit malitia moralis?

4. Quid, & quotuplex sit Conscientia; & num sit regula humanorum actuum?

5. Per summa capita tractetur, & explicetur quæstio de opinione probabili, quæ necessaria sit, ut tuta Conscientia formetur?

De lege naturali, et positiva divina.

6. Quid, & quotuplex sit lex?
7. De lege æterna; & quomodo differt a lege naturæ?
8. An in legem naturæ cadere possit dispensatio?
9. Utrum homines naturæ legem invincibiliter ignorare queant.
10. Utrum ante legem Mosaicam post Adami lapsum aliqua extiterit divina lex positiva?
11. De lege Mosaica; Ubi num Moisi per Angelos data fuerit?
12. Utrum omnes homines lege Mosaica tenerentur?
13. De moralibus præceptis legis Mosaicæ: *Ubi singillatim tractetur de præceptis Decalogi.*
14. Num lex Mosaica imperfecta fuerit?
15. Quandonam desiit; Ac paucis explicetur controversia illa, num eodem tempore mortua, ac mortifera fuerit?
16. Num Evangelium veram legem complectatur; Ubi num Christus fuerit verè legislator?
17. Utrum in Evangelio praeter legem dentur etiam consilia?
18. Quando nova lex obligare caepit?
19. Num in legem Evangelicam dispensatio, & epikija cadere possint?

De lege humana.

20. In quo jus resideat condendi leges Canonicas, & civiles?
21. Quid contineat jus Canonicum, quid Civile; & qua ratione citari soleant?

22. An humanae leges obligent in Conscientia, et quomodo?

23. An, et quomodo Peregrini teneantur servare leges Territorii, in quo versantur?

24. An Incolae alicujus Territorii teneantur servare leges proprii Territorii?

25. Quid est lex pœnalis; et num obligat in Conscientia?

26. Utrum, et quae promulgatio requiratur in lege humana, ut obliget; et num necessaria sit acceptatio Populi?

27. Quid est epikija; et num ea uti aliquando liceat?

28. Quid consuetudo est; et num aliquando novam legem inducere, vel abrogare queat, et qua ratione?

29. Quis potest a legibus humanis dispensare; et quaenam causae requirantur ad licitam dispensationem?

30. Agatur breviter de Ecclesiae praeceptis, ac distinctè de Jejunio Ecclesiastico.

TRACTATUS SECUNDUS.

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS.

1. De essentia, et subjecto virtutis.

2. De proprietatibus, et divisione virtutis.

De Fide.

3. Quid, et quotuplex sit Fides?

4. Quodnam sit Fidei materiale, ac formale objectum?

5. In quo ultimo resolvatur Fides?

6. An, et quomodo credibilitatis motiva ad Fidem conferant?

7. Utrum homo teneatur elicere actum Fidei, et quando?

8. Utrum externa Fidei simulatio sit licita ?

9. An , et quomodo obligatio incumbat exterius profitendi Fidem ?

10 Quaenam homo necessariè credere debet necessitate medii, et quaenam necessitate praecepti ?

De Spe.

11. Quid sit Spes ?

12. Quodnam sit objectum Spei tum formale, tum materiale ?

13. Utrum Spes maneat in termino ?

14. Utrum Spes sit in his , qui sunt in via ?

De Charitate.

15. Quid . et quotuplex sit Charitas ?

16. Quodnam sit materiale Charitatis objectum , et quod formale ?

17. Utrum extet aliquod speciale praeceptum Charitatis ; et an Charitatis actus sit necessarius , et quando ?

18. An , et qualis ordo sit servandus in exercitio Charitatis ?

19. Qualis sit amor Deo debitus ?

20. Per quid fiat satis praecepto Charitatis in proximum ?

Ubi de correctione fraterna , deque eleemosyna.

21. Utrum ex hoc praecepto teneamur inimicos diligere , et quomodo ?

APPENDIX.

De vitiis Virtutibus oppositis , ac de peccatis ; *Ubi summatim omnia , et breviter exponantur.*

ANNO II.

TRACTATUS PRIMUS

DE JUSTITIA, ET JURE.

1. Quid, et quotuplex est jus?

2. Quid, et quotuplex sit justitia; et quodnam ipsius objectum?

3. Quid, et quotuplex sit Dominium?

4. Quid Titulus, Traditio, Ususfructus, et Usus?

5. An Usus facti distinguatur a dominio in rebus unico usu consumptibilibus? Et quid sentiendum de Constitutione Joannis XXII. quoad hanc materiam?

6. Utrum omnia sublunaria hominis dominio subsint?

7. Utrum unus homo alterius hominis dominus esse possit?

8. An proprium corpus, et fama respectu cujuslibet sit dominii objectum?

9. Quarum rerum habent dominium uxores, et Filii Familias?

10. Num, et quale dominium habent Religiosi?

11. Num, et quale dominium competat Clericis sæcularibus in proventus Ecclesiasticos?

12. An Clerici habentes patrimonium uti possint bonis Ecclesiasticis? Et an in ea, quæ superfluunt honestae substentationi, dominium habeant?

13. Qua ratione dominium acquiratur earum rerum, quæ sunt nullius? *Ubi de Aucupio, Venatione, et Piscatione.*

14. Cujus sit thesaurus inventus?

15. Utrum dominium transferatur per ludum alearum?

16. Utrum per contractum, qui jure civili nullus est, dominium transferatur?

17. Quid præscriptio sit ? Quæ res præscribi possint ? Et quid desideretur ad acquirendum per præscriptionem dominium ?

TRACTATUS SECUNDUS.

DE CONTRACTIBUS.

1. Quid, & quotuplex sit contractus ; & an contractus pariat obligationem ?
2. Quinam contrahere possint ?
3. An error, fraus, & dolus irritent contractum ?
4. Num, et quo jure metus irritet contractum ?
5. Quid sit contractus conditionatus, & quando valeat ?

De Contractibus gratuitis.

6. Quid promissio ; quantum, ubi, et quando obliget ; quando etiam orta ex ipsa obligatio desinat ?
7. Quid, & quotuplex sit donatio ? An irrevocabilis sit ? Et quinam donare possint ; et quantum ?
8. Quid sit Testamentum, Codicillus, Legatum, et Fidei commissum ; et quænam inde oriantur obligationes ?

De Contractibus onerosis.

9. Quid Permutatio sit, Venditio, et Emptio ; et quas conditiones exigunt ?
10. Quid Negotiatio ; an sit licita, et quibus?
11. Quid est Monopolium ; et num sit licitum ?
12. Quid, et quotuplex est praetium rerum ; et undenam peti debeat ?
13. Cui res pereat, si post venditionem pereat, vel deterior fiat ?

Quid mutuum sit; et an semper obliget ad restitutionem?

15. Quid sit usura, et quotuplex; et quo jure prohibita?

16. Quibns ex titulis aliquid licitè possit ultra sortem exigi ob mutuum?

17. Quid sentiendum de Montibus Pietatis?

18. Quid sit cambium, et quotuplex; et num ars campsaria licita sit?

19. Quænam conditiones requiruntur ad legitimum per litteras cambium?

20. Quid est contractus societatis; et quænam conditiones requiruntur, ut licita societas sit?

21. An liceat contractum triplicem cum eadem inire persona?

22. Quid, et quotuplex sit Census; et quaenam conditiones desiderentur, ut licitus sit?

23. An licitus sit Census Personalis, et Vitalitius: et quid requiratur, ut sit licitus?

24. Quid Depositum sit? Quid Commodum? Quid Precarium?

25. Quid Assicuratio; an licita; et quae conditiones desiderentur?

26. Quid Fidejussio; quandonam expiret; et qui possint fidejubere?

27. Quid Locatio, et Conductio sit; quae res possint esse horum contractuum materia; et quaenam obligationes ex contractibus istis emergant?

28. Quid Feudum sit, et Emphyteusis; et quas conditiones requirunt?

29. Qnid, et quotuplex est Ludus?

30. Quid sit contractus Sponsionis, et an licitus?

31. Quid Restitutio sit; et unde restitutionis obligatio oriatur?
32. Utrum absolutè necessaria sit restitutio?
33. Quaenam sint causae a restitutione eximentes?
34. Quinam Ordo in restitutione servari debet?
35. Explicentur breviter virtutes, quae vocantur justitiae annexae?

De Voto.

36. Quid, et quotuplex sit votum, et quaenam voti materia?
37. Utrum homines Christiani vovere possint?
38. Quid requiritur, ut votum sit validum; et de obligationibus, quæ votum validum consequuntur?
39. Quinam vota permutare, vel in eis dispensare valeat?

ANNO III.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1. Quaenam sit vera Sacramenti definitio?
2. Num fuerint Sacramenta in statu innocentiae, et in statu naturae, et legis Mosaicae?
3. Quodnam discrimen est inter Sacramenta novae, et antiquae legis?
4. Utrum Christus Dominus instituerit vera Sacramenta; materiam quoque, ac formam in specie etiam determinaverit, vel potius determinandam Ecclesiae reliquerit?

5. Quænam materiæ, vel formæ mutatio irritet Sacramentum?

6. Num in aliquibus Sacramentis uti liceat forma conditionata?

7. Utrum Sacramenta novæ legis gratiam conferant ex opere operato? *Ex his deducatur per Corollaria contra Lutheranos, aliosque Haereticos, formam Sacramentorum non esse Concionatoriam; neque ratum esse posse Sacramentum mimicè collatum. Si namque non ex opere operantis gratiam conferant Sacramenta, sed a recepta ex Passione Christi virtute; vides jam, verè non confici ex. gr. Eucharistiam, nisi verba, ut consecratoria proferantur; et quidem a Sacerdote, veluti Christi ministerium exercente.*

8. Utrum Sacramenta sint causa moralis, an physica gratiæ sanctificantis?

9. Num dentur Sacramenta, quæ imprimant characterem; & in quo hujus characteris natura sita sit?

10. Quinam sint Sacramentorum Ministri?

11. Utrum ad valorem Sacramenti requiratur in Ministro Sanctitas, & Fides?

12. Utrum peccent Sacramenta conficientes, vel administrantes in peccato?

13. Utrum liceat aliquando a Ministris impiis petere Sacramenta?

14. An, et qualis intentio requiratur ad valorem Sacramenti?

15. Utrum Sacramenta novae legis æqualia sint inter se dignitatis?

16. Num, & quomodo Sacramenta hominibus lapsis sint necessaria?

17. Utrum in administrandis Sacramentis Ecclesia semper quasdam adhibuerit cæremonias?

18. An, & quomodo peccent Ministri non servantes ritus ab Ecclesia praescriptos in Sacramentis tum conficiendis, tum administrandis?

TRACTATUS SECUNDUS.

DE SACRAMENTIS BAPTISMI, CONFIRMATIONIS, ET EUCHARISTIAE.

1. Quid Baptismus sit; & num sit Sacramentum?

2. Utrum etiam parvuli sint baptizandi; & num necessarius sit Baptismus etiam parvulis a Fidelibus procreatis?

3. Quænam sit Baptismi materia? Cur Christus naturalem aquam elegerit? Ubi breviter explicetur, quid veniat sub nomine aquæ naturalis?

4. Quid de Sacro Fonte Baptismi Ecclesia statuerit?

5. Utrum Baptismus valeat per infusionem, vel per adspersionem collatus; & quinam fuerint, & nunc quoque vigeant circa hanc ablutionem Ecclesiæ ritus?

6. Quænam est forma hujus Sacramenti; & num hæc, vel æquivalentia verba? *Ego te baptizo* necessaria sint?

7. Num forma proferri debeat a Ministro baptizante?

8. Utrum valuerit aliquando, et nunc valeat Baptismus in solo nomine Christi collatus?

9. Utrum, et quando Christus instituit Baptismum; et num ab illo Joannis hic differat?

10. Quis sit ordinarius Baptismi Minister, et quis extraordinarius?

11. Quandonam infantes baptizari debent? Num eos in utero Matris baptizare liceat, aut Matrem de vita periclitantem exsecare, ne infans sine Baptismo moriatur?

12. An liceat filios Infidelium invitis parentibus baptizare?

13. An validè saltem baptizentur; et quid agendum cum parvulis sic baptizatis?

14. Quænam dispositiones requiruntur in Adulto ad Baptismum validè, et licitè recipiendum?

15. Utrum Baptismus remittat culpam, et pœnam?

16. Utrum Baptismi votum, et Martyrium effectum veri Baptismi operentur?

17. Num Martyrium producat gratiam ex opere operato?

18. Quinam sint Baptismi effectus?

19. Quænam cæremoniæ ex Ecclesiæ præcepto servandæ sunt in Baptismo?

De Confirmatione.

20. Utrum Confirmatio sit Sacramentum?

21. Quænam sit Confirmationis materia?

22. Quænam forma?

23. Utrum soli Episcopi sint ordinarii Confirmationis Ministri?

24. Utrum Ministri extraordinarii possint esse simplices Presbyteri?

25. Num iis solus Romanus Pontifex committere possit Sacramenti istius administrationem?

26. Quodnam sit Confirmationis Subjectum?

27. Num, et qua ratione Confirmatio dici possit necessaria; et de Confirmationis effectibus?

28. Utrum recipiens Confirmationem debeat esse in gratia?

29. Utrum Confirmatio imprimat characterem, et possit iterari?

De Eucharistia.

30. Quid est Eucharistia?

31. In quo consistat ratio Sacramenti in Eucharistia?

32. Utrum panis cum azimus, tum fermentatus apta sit Eucharistiæ materia; et quid Ecclesia hac de re definierit?

33. An vinum sit Eucharistiae materia ; num vino parum aquæ miscendum sit ; et num aqua in Christi Sanguinem transmutetur ?

34. Quænam circa materiam Eucharistiæ observari debeant , ut validè, et licitè conficiatur ?

35. Quænam est Eucharistiæ forma : Ubi etiam an invocatio Spiritus Sancti necessaria sit ad Eucharistiam perficiendam ?

36. Quinam est Eucharistiæ Minister ?

37. Quænam dispositiones requiruntur ad Eucharistiam digne suscipiendam ?

38. Utrum Eucharistiæ Sacramentum in sola consistat sumptione ?

39. Utrum in Eucharistia vera transubstantiatio occurrat ?

40. Utrum Eucharistia sit necessaria, et quomodo ?

41. Utrum Eucharistiae usus debeat esse frequens ?

42. Utrum administranda sit Eucharistia sub utraque specie ?

43. In quo consistat essentia Sacrificii Eucharistici ?

44. Utrum Sacerdotes teneantur offerre Eucharistiae Sacrificium ?

45. An, et quomodo Fideles teneantur adesse sacrificio Missae ? *Ubi de dispositionibus ad Missae Sacrificium praerequisitis.*

ANNO IV.

TRACTATUS PRIMUS.

DE SACRAMENTIS POENITENTIAE, ET EXTREMAE UNCTIONIS.

1. Quid sit Pœnitentia ut virtus; et num Pœnitentia sit verum novæ legis Sacramentum?

2. Quænam sit materia remota, quænam proxima Sacramenti Pœnitentiæ?

3. Utrum timor ex metu gehennæ bonus sit; et salutaris?

4. Utrum dolor de peccatis commissis necessarius in Sacramento Pœnitentiæ debeat includere aliquod charitatis initium?

5. Utrum ex Divina institutione teneamur confiteri peccata?

6. Utrum teneamur omnia peccata Confessario recensere, et circumstantias tum mutantes speciem, tum notabiliter aggravantes intra eamdem speciem?

7. Utrum soli Sacerdotes sint Pœnitentiæ Ministri?

8. Quo jure Sacerdos teneatur servare secretum de iis, quæ in Confessione novit?

9. An saltem propter bonum publicum revelari possit peccatum, quod Confessione exceptum sit; et quomodo se gerere debeat Confessarius, si de eo interrogetur a Judice? *Ubi alia etiam ad hanc rem pertinentia declarentur.*

10. Num Confessario exquirere liceat a Pœnitente in Confessione nomen Complicis?

11. Quid sentiendum de Pœnitente, qui in Confessione mentiatur?

12. Quid sit satisfactio, quotuplex; quæ satisfactionis materia, quæ forma?

13. Utrum Confessarius impositam ab alio satisfactionem commutare, vel relaxare possit?

14. Num præscriptam a Sacerdote satisfactionem possit Pœnitens recusare?

15. Utrum in peccato mortali existens satisfaciat?

16. Quo jure necessaria sit satisfactio?

17. Utrum injungenda satisfactio sit, quæ criminum gravitati conveniat?

18. Utrum aliquando Pœnitentia publica esse debeat?

19. Quænam est vera Sacramenti Pœnitentiæ forma?

20. Utrum dentur peccata irremissibilia?

21. Qua ratione se gerere debeat Confessarius cum Consuetudinariis, cum Obversantibus in occasione proxima, et cum ignorantibus fidei Christianæ rudimenta?

22. Utrum absolutio dari possit absentibus, et demandari per litteras?

23. Utrum dari possit his, qui de repente in morbum incidunt, ac loquelæ usum amittunt, et quando?

De Extrema Unctione.

1. Utrum Extrema Unctio sit Sacramentum?

2. Quænam sit materia, et forma Extremæ Unctionis?

3. Quis sit hujus Sacramenti Minister?

4. Quodnam Subjectum?

5. Quænam dispositiones ad Extremam Unctionem prærequirantur?

TRACTATUS SECUNDUS

DE SACRAMENTIS ORDINIS, ET MATRIMONII

1. Utrum Ordo sit Sacramentum ?
2. Quot sunt Ordines ?
3. Quænam est materia, & forma Sacramenti Ordinis ?
4. Quinam est Sacramenti Ordinis Minister ?
5. Quinam sunt hujus Sacramenti effectus ?

De Matrimonio.

1. Quid est Matrimonium ; & quod discrimen est inter Matrimonium qua contractum, & qua Sacramentum ?
2. Utrum Matrimonium verè ac propriè sit Sacramentum ?
3. Utrum, & quo jure Polygamia prohibita sit ?
4. Quo jure Matrimonium sit indissolubile ; & num apud Christianos per adulterium alterius Conjugis quoad vinculum dissolvatur ?
5. De solemnitatibus contractus Matrimonialis, de Sponsalibus, & Proclamationibus.
6. Utrum consensus Parentum necessarius sit ad valorem Matrimonii ?
7. Num dentur impedimenta Matrimonii ; & quænam sint impedientia, quænam dirimentia ?
8. Utrum Ecclesia statuere possit impedimenta Matrimonii dirimentia ? Utrum potestas laica ?
9. Quænam est materia, & forma ; quinam Minister hujus Sacramenti ?
10. Utrum inter Deiparam, & S. Josephum verum intercesserit Matrimonium ?

11. Utrum Matrimonium dissolvatur per ingressum alterius Conjugis in approbatam Religionem ?

12. Utrum Rom. Pontifex dispensare possit super impedimenta Matrimonii ?

13. Utrum dispensare possit in Matrimonio rato, & non consummato ?

14. Quænam causæ requirantur ad licitam dispensationem ?

15. De Matrimonii effectibus ?

In Elencho Secundi, et Tertii Lectoris nulla Auctorum nomina exscripta sunt ; satis namque sunt obviæ enumeratæ in eo quæstiones, et ab omnibus ferè Scholasticharum rerum Scriptoribus pertractantur.

Quæ in Libris nostri Doctoris desiderantur, ex Alexandro Alensi *suppleri poterunt*, ex D. Bonaventura, ex Riccardo de Media Villa, *in iis præsertim, quæ ad Prædestinationem pertinent, et Gratiam Christi : Perlegi quoque, ac lustrari poterunt recentiores ex nostra Schola*, Henno, Frassenius, Afermet, Feverdentius, Franciscus Horantius, Alphonsus a Castro, Andreas Vega, Franciscus a Breno, Anacletus Reinfestuel, aliique.

Ex exteris autem Bellarminus, Petavius, Estius, Boucat, Tournely, Witasse, L' Herminier, Habert, Berti, Le-Droit *de re Sacramentaria*, Morinus *de Pœnit.*, *et Ordinat.*, Silvius, Dominicus Soto, *et novissima Theologia* P. Belluart.

DECRETA REVERENDISSIMI PATRIS.

Meminerint Lectores omnes, ut in explicandis ad normam hujuscè Elenchi Theologicis difficultatibus compendiosi sint, ac perspicui ; easque strictim pertractent, summatim, & ad modum Theologicarum Institutionum.

Hebdomadales, Mensiles, & Publicæ de rebus Theologicis disputationes, juxta antiquam in Ordine re-

ceptam praxim, statutis temporibus exactè habeantur. Ab iis autem jurgia, clamores, rixæ, atque altercationes omnino auferantur; argumenta ex una, solutiones ex altera parte, nonnisi Scholastica methodo, brevique oratione strictim proferantur; atque ut omnia ex ordine fiant, auctoritate sua studiorum Præfecti, quibus Lectores hac in parte obtemperare tenentur, sedulò invigilabunt.

Nimium Feriarum, seu Vacationum excessum convenit moderari; ea propter a lectionibus, reliquisque omnibus Scholæ exercitationibus nullo modo vacandum erit, nisi sequentibus, prout infra, diebus.

I. A Feria V. post Dominicam Sexagesimæ usque ad Feriam IV. Cinerum inclusive.

II. A Dominica Palmarum usque ad Feriam IV. exclusivè post Dominicam Resurrectionis D. N. J. C.

III. Tribus Rogationum Feriis, tantum in illis studiis, quorum Conventuum Fratres solemnibus Civitatum, vel Locorum supplicationibus interesse solent; idque quoad solas lectiones matutinas. Lectio itaque Vespertina non vacabit, quam Feria II. habebit primus Lector; Feria III. secundus Lector; Feria vero IV. tertius Lector. Singuli autem Lectores hoc triduo dictabunt per integram horam, ut vacantes matutinæ Lectiones sic compensentur.

IV. A Festo S Bonaventuræ usque ad Nativitatem B. Mariæ Virginis.

V. A Festo S. Petri de Alcantera usque ad commemorationem omnium Fidelium Defunctorum.

VI. In Festis
(S. P. N. Francisci, ejusque Sac. Stigmat.
(S. Antonii Patavini.
(S. Bernardini Senensis.
(S. Didaci.
(S. Paschalis Baylon.
(S. Catharinæ V. & M.

VII. A Festo S. Thomæ Apostoli usque ad Circumcisionem Domini.

VIII. In omnibus Festis de præcepto per annum occurrentibus.

IX. Singulis V. Feriis cujuslibet hebdomadæ, in qua nullum festum vel de præcepto, vel ex enumeratis occurrit; alioquin Scholastica exercitia Feria V. non intermittantur.

X. Si evidenti aliqua necessitate cogente, præscriptus Vacationum Ordo inverti contigerit; id fiat cum consilio, & assensu Præfecti, ea tamen conditione, ut quæ intermittuntur hac de causa lectiones, in feriatis ut supra diebus postmodum omnino suppleantur.

Interdicimus omnibus Sacræ Theologiæ Lectoribus concionandi munus, tam in Adventu, quam in Quadragesima, nisi forte utroque Lectoris, ac Concionatoris ministerio vacare simul possent, ita ut studentes consuetis lectionibus minimè fraudarentur. Et nihilominus relinquimus arbitrio Nostro dispensandum cum iis, quorum Verbi Dei prædicatio in magnum quandoque cederet animarum fructum, Nostrique Ordinis decorem. Quo item arbitrio uti poterunt Commissarius Generalis pro Ultramontana Familia, ac pro Indiis Commissarius illarum, sive per se, sive per suos respectivè Vice-Commissarios.

In studiis, ubi ex lege aliqua, statuto vel consuetudine duo tantum sunt Lectores, Nobis visum est, ac Discretorio Generali Romæ existenti, ut singulis quadrienniis perlegantur Tractatus secundi, & tertii Lectoris ad normam prænotati Catalogi. Octo verò Tractatus primo Lectori ibidem adsignatos, sub finem Anni Scholastici, per mensem scilicet antecedenter ad Festum S. Bonaventuræ, studentibus explicabunt, summatim ac historice: In singulis Annis singuli Lectores (lectione proprii Tractatus non intermissa) unum ex præfatis Tractatibus.

Omnia autem hæc etsi pro studiis Generalibus constituta sunt, aptari tamen volumus studiis quoque Sacræ Theologiæ Provincialibus, ea ratione ac forma, quibus de studiis, ubi duo tantum sunt Lectores, mox præscriptum est, ac statutum.

Tandem quæ hic, & in encyclicis nostris litteris, quoad studiorum directionem enunciavimus, ut ab omnibus S. Theologiæ Lectoribus inviolabiliter observentur, plenioremque effectum consequantur; Volumus, ac virtute præsentis Decreti præcipimus, ac mandamus, quatenus de perfecta omnium, & singulorum præmissorum observantia, per authenticas attestationes Ministrorum Provincialium, Guardianorum, & Præfectorum subscriptione firmatas, singulis annis, ad Curiam Generalem nostram, juxta earumdem nostrarum encyclicarum litterarum tenorem transmittendas, ipsi Lectores Generales Nos distinctè, ac perspicuè certiores reddere teneantur, sub pœnis, arbitrio Nostro, pro graviori, vel leviori inobservantiæ culpa irremisibiliter infligendis. Quod pariter ut efficiant in suis respective Familiis, Reverendissimos Patres Commissarios Ultramontanum, atque Indiarum paterna charitate admonemus, & in Domino cohortamur.

Sciantque omnes, præinsertum Elenchum, una cum adnexis nostris Dispositionibus, seu Decretis Sanctissimi Patris, & Domini nostri Domini BENEDICTI PP. XIV. pedibus, sapientissimoque judicio fuisse per Nos humiliter expositum: Sanctitatem vero Suam peculiari Apostolico Rescripto censuisse supplicationibus nostris satisfaciendum, prout sequitur.

Ex Audientia SSmi die 12. Septembris 1757.

Sanctissimus, viso Elencho Tractatuum, et Quæstionum, de quo in precibus, consilium Ministri Generalis Oratoris de uniformitate Methodi Studiorum in

universo Ordine statuenda, magnopere probavit; eumdemque hortandum censuit, ut opportunis quibusque rationibus, utendo facultatibus sibi competentibus, cum consilio Discretorii Generalis saluberrimum opus urgeat, et prosequatur. Præterea Libros Theologicos, et Philosophicos Religiosorum, qui imposterum in quibuscumque Conventibus per Provincias ex hac vita migrabunt, ad earumdem Provinciarum Conventus pro Studiis destinatos, prudenti Ministrorum Provincilium arbitrio deferri, eorumque Bibliothecis perpetuo applicari posse concessit; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Loco ✠ Sigilli

F. C. Boschi Secretarius.

ROMÆ MDCCCXXXIV

Ex Typographia Angeli Ajani

Cum Approbatione.